

F.Y.K.  
25. II.

(X 2000 279)

561  
Ya  
172

Q. D. B. V.  
SCHEDIASMA  
de  
**ALTENBURGENSIS ECCLE-  
SIÆ PRÆSULIBUS,**

EMINENTISSIMOS <sup>qvo</sup> URBIS PROCERES

ERUDITIS <sup>cum</sup> OMNIBUS,  
qvos Altenburgigremium complectitur,

ut  
**PANEGYRIN ORATIONIS  
PARENTALIS,**

memoriae  
Optimi qvondam Theologi,

**VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI  
ATQUE EXCELLENTISSIMI,**

DOMINI

**JOH. CHRISTFRIDI.  
SAGITTARII,**

S. S. Theologiæ Doctoris,  
per hunc Ducatum Superintendentis Generalis,  
Supremi Aulæ Concionatoris,

atque

Hagio-Synedrii Assessoris,  
dore Ecclesiastica pariter & literaria egregie meriti,

consecratæ,

&

XX. Februarii M DC XCIV.

in

primario illustris Palæopyrgici Acroaterio

habendæ,

exoptatissima præsentia splendidiorem efficere dignentur,

tanquam decentissimæ modestiæ argumento

rogitat

**M. Joh. Müller / Ecclesiæ Altenb. Diac.**

Altenburgi, Stanno Gothofr. Richteri, Ducalis Typogr.





N magna beneficiorum multitudine, quibus DEI bonitas Altenburgi nostræ gloriam condecoravit, purior Evangelii doctrina primarium locum obtinet. Postquam enim sanctæ recordationis Heros, imperterritus Lutherus, cœlesti excitatus Spiritu, in profligandis Papalium superstitutionum erroribus, anno superioris seculi decimo septimo, felix fecerat initium, ista non multo post saniora imbibendi dogma singulare flagravit cupidine. Cui desiderio cum clementia NUMINIS annueret, intemerata rerum divinarum cognitione imbui cœpit, flaccipendens Monachorum renitentium intemperias. A parvo quidem principio, ut e sequentibus colligi poterit, est profectum tam sancti conaminis studium; perinde ut magna flumina exiguis fontibus debent originem, atque alia ardui momenti negotia a tenui exordio proveniunt; DEI tamen benignitate progressuque temporis incrementum cepit, quod adhuc gaudio nobis esse potest incredibili. Cumque non ingratum fore existimem, si Doctorum primariorum brevis fiat commemoratio, quorum ministerio DEUS optimus in plantanda regendaque Ecclesia nostra hactenus uti voluit, quoad charta hujus angustia patietur, eam instituere conabor. Sicut autem DEI sapientia in saluberrimo reformatæ religionis opere magnanimi Lutheri studium præcipue adhibuit; Ita & ejusdem alacritatem urbi nostræ esse voluit proficuum. Postquam enim anno superioris seculi decimo nono in ædibus Georgii palatini (de quo in sequentibus plura referam) cum Carolo Miltitio, Leonis X. Pontificis Cubiculario, colloquium, & postea, Wormatiam proficisciens, in Franciscanorum templo concionem ille habuerat, civium animi doctrinæ hujus divinitatem clarius percipiendi flagrantissimum ceperunt desiderium. Cui ut satisferet, Senatorii Ordinis Patres literis cum illo egerunt, ut de bono Evangelii Doctore sibi prospiceret. Hujus testimonio nobis esse potest epistola, ad potentissimum Saxonæ Electorem Fridericum, cui rerum prudenter gestarum multitudo Sapientis cognomen peperit, ea de re scripta, cum binis aliis, ad Senatum exaratis, quarum αὐλόγησα Curiæ nostræ γενναῖος.

(a) Vid. Tom. II. Altenb. f. 123. &c. 255. λαχεῖον venerabili operum apud nos editorum curatori (a) suppeditavit. Megalander autem adeo egregiam Christianæ fidei capita propagandi natus occasionem, anno vigesimo primo huc mili M. Gabrielum Diaynum.

(b) Commen- tar. de Luthe- ran. l. 1. Sect. 45. §. 10. addit. 1. f. 181. De cujus matre illustris Seckendorfius (b) tradit, quod in valle Joachimica habitaverit. Plura de ejus ortu invenire non potui. Id memoria dignum, quod aliquando Festo Johannis B. Cygneæ in templo de fide & prædestina-

tem, subselliis relictis, ad pulpitum acceſſile, tantaque attentione auscultasse. ut integrum diem in concione perseveraturi (y) vici fuerint immiscuerat se quidem Carolostadii in imaginibus turbidis tumultui. sed, seria insanæ talis penitentia statim correctus, eam sibi conciliavit existimationem, ut Lutherus enati nostri scribere non dubitaverit, quod Gabrielum consecuti sua præsentis opera nullatenus indigerent. Neque refelliſſet tam laudabilis de eo fiducia modo conatui ejus virulentus Monachorum furor non adeo vehementer restitifſet. Qvorum saevitiam metuens, extra orbis mœnia, proprie nosocomium solis occasum spectans sub tilia quadam confluentes cives do-

(d) in Epicedi- gregie meritus, olim (d) publice tradidit. Eadem tyrannide permotus, bre- gidi Hunnii nosfratis me- moriam com- positis.

(e) vid. Tom. I. Altenb. f. 136. a. tum Vicarius antea in Norimbergensi cœnobio ejusdem ordinis membrum.

Sub initium sui munera premebatur calamitatibus, quas Didymus pertulerat. Parumque fidens Papalium machinationibus, extra portam Johanneam sub

(e) Vid. Se- ckend. l. 6. Sect. 53. §. 128. addit. t. 214. tilia, quæ ad Xenodochii superioris templum non multis abhinc annis adhuc durasse traditur, suggestum constituit, ex quo divini verbi ambrosia (e) recrea-

vit

vit populum. Deinde in privatis cūjusdam civis, Iosuæ Kirchneri, ædibus, Curiæ urbanæ proximis, porro in æde Fratrum, & tandem in templo Bartholomæi auditorum animis Christianæ doctrinæ nectar instillavit, Ecclesiastæ usurpans titulum. Anno vigesimo tertio S. cœnæ epulas sub utraque non nullis exhibere cœpit, usus etiam sequenti anno vernacula Baptismi formula, quam Lutherus præscriperat. Sacerdotum apud nos primus, anno ciliætæ vigesimo quarto, celebravit nuptias, quas ipse Lutherus solemni benedictionis ritu in Bartholomæi templo consecrasse dicitur, unde sponsus, ob Monachorum, infidias molientium, strepitus, armatorum civium cinctus præsidio, ad Wolfgangi Sonnii domum, quam *Nu**μ**ριον* esse voluit, deductus est. Non autem diu Ecclæsia nostræ incunabulis præesse potuit, quippe Norimbergam anno vigesimo quinto revocatus, ubi Pastoris Evangelici munus laudabiliter gessit, aliorum etiam desideria utilissimis ingenii monumentis, in publicum editis, inserviens. Inde a B. D. Nicolao Selneccero, quem puerum (v) a. 1587 cu- paterna complexus est benevolentia, in vita Lutheri (n) pientissimus vocatur rante D. Joh. *Theologus*, commemorante etiam, quod *Lutherus eum semper fecerit maximi*, & Friderico May- παραστάνειαι manipularem cum Augustæ, tum in tota vita fidelissimum habue- ero recusa p. rit. Obiit Norimbergæ anno MDXLVII. XII. Martii, tali ornatus (g) epitaphio: <sup>16</sup>

Autorem vitæ, dum viveret atque salutis  
afferuit, docuit, glorificabit, habet,

Qvem & D. Caspar Cunradus in Prosopographiarum melicarum millenario secundo (i) ita loquentem sifit:

Norica in urbe docens fidus sacra dia'peregi:  
nunc sacra cum superis perpetuanda colo.

Ab illius ex hac urbe abitu Evangelii lumen magis magisque in Ecclesia nostra cœpit ex splendescere, cum *Georgius Spalatinus* istius curam non sine NUMINIS gratia singulari, anno vigesimo quinto, in se susciperet. Spalatini iste nomen non a patre (qui coriarius, ein Notgerber/ fuit, Burckhard dictus, ceu illuistris D. Joh. Thomæ, Patriæ nostræ Patribus a sanctioribus quondam consiliis, & in Ducali regimine Cancellarius, Supremus reddituum provincialium Director, immortale urbis nostra decus, in MS. ad Simleri Bibliothecam observationibus e Wolfgango (n) Agricola annotavit) sed a patria pro seculi consuetudine accepit. Spalato nempe s. Spalt/ Aureatenis five Aichsterensis 90. seqq. Episcopatus oppidulo, ubi anno supra millesimum quadringesimo octogesimo secundo in hanc lucem editus est. De quo eo brevior esse potero, quo plures eruditorum in illius vita delineanda adhibuerunt diligentiam. Non enim Melchior Adamus tantum Germanorum Theologorum vitis illius nomen inseruit, e quibus haulsit, quæ D. Paulus Freherus in Theatro suo de isto retulit; sed & illuistris Seckendorffius in deLutheranismo (λ) Commentario, cum aliis, de (λ) l. : Sect. 8. eo luculenter egit. Et nuper admodum doctissimus juvenis, Christianus 5. 8. addit. 6. 6. Schlegelius, Cygneensis Ephori filius, sub præsidio D. Casparis Sagittarii, pro- lixa disputatione in Academia Jenensi eandem materiam singulariter orbi literato exposuit. Juvenili atate admirabiliter confecta in Schola Norimbergensi & Academiis Erfordiensi atque nova Wittenbergensi, in qua omnium primus a. MDII. supremam Philosophia lauream accepit; statim alias post alias adeptus est provincias. Anno nempe superioris seculi septimo factus Pastor Hohenkirchæ, pagi ad radices sylvæ Thuringicæ siti, & paulo post præceptor novitiorum in proximo cœnobio vallis S. Georgii. Anno nono Principi juventutis, Johanni Friderico, postea Saxoniæ Electori, & a. undecimo Luneburgensis Ducibus, Ottoni & Ernesto, doctor est præfector. Non diu post in Electoris Saxoniæ, Friderici, aula Ecclesiastæ atque Secretarii munus consecutus est, membrum simul five Canonicus Ordinis S. Georgii in arce nostra factus. Quam laudabiliter ejusmodi dignitates, in Principum pariter & subditorum salutem, domi forisque in plurimis Imperii Romani Comitiis & alibi, gesserit, alii summis efferant prædicationibus. Nemo tamen elogiis sat magnis exprimere potest, quanta dexteritate Lutheri, vel potius fidei reviviscentis causam adjuverit. Alii testes si deficerent, instar omnium nobis essent copiosa Lutheri volumina, Spalatini passim mentionem facientia. Valebat auctoritate gratiaque plurimum non apud suos tantum, sed exteris etiam Princeps, illorumque Ministros primarios. Impetrare ergo poterat quamplurima, quæ aliis impossibilia videbantur. Ha enim est

(g) vid. Nori-  
scher Christen  
Freudhöhe Gez  
vñchens pt. 1.  
p. 119.

(i)p. 115.

est DEI benignitas, ut suis conciliet, quorum patrocinio in Magnatum aulis uti queant. Quicquid autem eruditione, pietate, candore, prudentia, existimatione, industria aliisque virtutibus iste potuit, Ecclesiæ nostræ, primus illius Superintendentis anno supra dicto constitutus, emolumento consecravit, omnibus rebus non solum in urbe vicinisque oppidis atque pagis, sed aliis etiam Misniæ Varisciæque locis, ad Electoris ditionem pertinentibus, salutariter ordinatis. Adeoque cum probitate nihil haberet commercii, qui grata animi mente DEI beneficia, per Spalatinum Ecclesiæ nostræ collata, plane innumera, nolle agnoscere. Sexagenario major in mœrorem incidit, de quo diversæ sunt eruditorum sententiae.

(μ) T. VIII. & eum sequens Freherus, istius originem nemini cognitam fuisse, scribunt. Conf. Seckend. solatorias autem literas (ν) a Luthero ad eum datas si curatus legamus, causa l. 3. sect. 30. §. istius fuisse videtur, quod in Pastoris alicujus cum suæ defunctæ conjugis no- 118. f. 517. b. verca matrimonium consenserit. Tametsi Lutherus non tam, vere id factum, med.

(ν) Cujus εκ- pistola a. quadragesimo quarto, postridie Ægidii, Ciza ad eum scripta (ν) con- Ηυπνον dispu- tationi ante- laudatæ Schle- gelius anne- Etendam cura- tationi ante- laudatæ Schle- gelius anne- Etendam cura- vit p. 251. seq. pulatur, de Principis hujus gatia, quasi ea exciderit, maxime solicitus fuisse vi- detur. Vel unius rei plures causæ, ceu in mœrore vexatis sèpius deprehens- ditur, possunt conjici. Obiit tandem, fiduciaæ in CHRISTI vulnera constantiam luculenter testatus a. MDXLV. XVI. Januarii.

Beate mortui Spalatini in munera sacrorum administratione Successor II. factus est M. Augustinus Himmel/ in Archiepiscopatus Coloniensis terra, nescio quando, natus. Is relicta vita, cui inter Monachos ordinis Augustin. aliquan- diu Erfurti fuit deditus, Lutheri doctrinam serio amplecti cœpit, Pastoris spar- tam apud Colditienses consecutus, quam usque ad illud tempus, quo hoc le- gitime vocatus se contulit, annum scilicet sextum & quadragesimum, fideliter gesit. Nobilis fuit iste annus placido Lutheri Θεολόγος ex hac vita Islebii in pa- tria XIIIX. Febr. discessu. Cæterum Himmeliana Ecclesiæ nostræ gubernatio in valde turbulenta incidit tempora, crudeliter tumultuante belli furore, qui im- pavidissimum Patriæ Patrem, Electorem Johannem Fridericum, in triumpho qua- si captivum duxit; perniciosissimo etiam libro, *Interim dicto*, maximos ciente turbines, aliisque erroribus non mediocriter Ecclesiam afflagentibus, quos denique halcyonea religionis exceptis quies, Paßaviensi pace concessa. Finiit ille vitam XX. Septembris a. tertii & quinquagesimi, in cœmeterio nostro tumulatus.

III Eo defuncto, urbs nostra de alio Superintendentे vocando solicita, M. Ale- xium Bresnicerum, Cotbusi in Lusatia inferiori natum, judicavit dignum, cui id munera demandari commode posset. Accersiverat eum anno quadragesimo (ξ) de quo vi- sexto Neukircha, pago, Crimmitchiensi oppidulo proximo, ut M. Eberhardi (ξ) de Seckend. l. 1. Brisgeri, Ecclesiastæ, anno quadragesimo quinto, paucis diebus post Spalatini o- sect. 53. §. 128. f. 214. b. med. bitum (in cuius alioqui locum dubio procul successisset) nempe XXIV. Januarii defuncti, vicem ageret. Anno quinquagesimo octavo Jenensibus interfuit Theo- logis, qui errorum confutandorum gratia Vinariæ convenerant. Cum autem, X. Jul. anni sexagesimi secundi Jenam a Ducibus Ministris citatus, in Victori- ni Strigelii sententiam nolle concedere, usque ad Michaelis festivitatem munera- sti gerendi potestate atque fructu carere, & postea XX Octobris cum septem & vi- ginti aliis Pastoribus hanc terram prorsus deserere jubebatur. Compositis autem, post captam XIII. April. anni sexagesimi septimi Gotham, Ecclesiasticæ rei ambi- guitatibus, cum multi in exilium pulsi Pastores ad pristinas dignitates possuminio redirent, noster etiam, per honorificis rogatus precibus, Otinga, Sveviæ oppidulo, ubi exul vixerat, omnium bonorum plausu, XXIX. Junii anni sexagesimi octavi, reversus est. Nec tamen diu recuperata illa quiete frui potuit. Siquidem in gra- tiam generi sui, D. Jo. Friderici Cœlestini, Theologiae in Salana Professoris exulis, Flacianorum de peccato originis errorem & publice & privatim pertinaciter pro- pugnans, in acerbam cum Collegis suis controversiam incidit. Quibus ita se ha- bentibus, Jenensis Synedrii jussu XVII. Febr. anni septuagesimi tertii a munera sui functione iterum abire debuit.

IV Post eum M. Andreæ Miseni, Altenburgensis, fieri debet mentio, qui eruditione non proletaria in illustri Leucorea tinctus, Scholar in Franciscanorum cœnobio re- cens ordinatæ, Rector ab urbis nostræ Senatu a. MDXXX. vocatus est. Sicut autem postea in obeundis Ecclesiastæ muniis Bresnicerum est secutus; Ita etiam in exilium pulsi Superintendentis locum a. MDEXII. impetravit, quem & eidem a. LXIX.

LXIX. (quo Colloquium inter Electorales atque Ducales Theologos in urbe nostra haberi cœpit) revocato vacuefecit iterum, Leucopetram XVI. Novembr. hinc discedens, ubi usque ad vitæ suæ terminum, annum nempe MDLXXI. Superintendens Ecclesiae præfuit.

V.

Postquam vero altera vice Bresnicero abeundi imponebatur necessitas, Esiae Oswald/ Altenburgensi, Ecclesie nostræ procuratio est credita. Hic a Diceceos nostræ pago, Stecha, Aumâ Variscorum a. MDLXXI; vocatus fuerat; Unde huc a. MDLXXIII. rediit, Pastoris atque Ephori munus IV. Octobris solemniter auspicans. Nominis sui subscriptione cum Collegis suis, & plurimis hujus provinciæ Pastoribus, novum Concordia librum amplexus est. Gratus autem patriæ suæ non diu fuit, quippe qui XII. Jun. a. MDLXXIX. eam relinquere jussus, Pansam ad Bohemos concessit.

VI.

Ab eo tempore Ecclesia nostra pacatius regi cœpit a Caspare Melissandro, sive Bienenmann/ quem Norimberga genuit. Ille literis in juvenili aetate a Scholarum & Academiarum Doctoribus eleganter politus, in aulam Vinariensem a Duce Johanne Wilhelmo invitatus est, ut Principi juventutis, Friderico Wilhelmo, Electoratus Saxonici post Christiani I. mortem Administratori, a studiis esset. Fuit aliquandiu, Augustissimi Patris & universæ aulae plausum ingenuitate singulari promeritus. A. MDLXXI. XI. Maji in Academia Jenensi summos Theologiae honores aslumen- di licentia, & paulo post, XXI. scilicet ejusdem mensis, tali decore, una cum M. Timotheo Kirchnero, Pastore Jenensi, & M. Jer. Hombergero, Theol. Prof. Lavingensi, Brabeuta D. Joh. Wigando, ipso etiam Duce Johanne Wilhelmo cum Conjuge Dorothyae Susanna, & ante laudato Filio præsente, est ornatus. Cumque II. Octobr. a. MDLXXIX. felix Ecclesiam nostram gubernandi fecisset initium, laudabili fide istius incremento studuit, in ceteris summa contendens alacritate, ut teneræ juventutis animi Catechetica doctrinæ, hymnorum Davidicorum, aliarumque Biblicalarum sententiarum notitia imbuerentur. Quin & Ebraicæ doctrinæ elementa, typis excusa, a. MDLXXX. Scholasticam juventutem ipse docuit, aliis etiam voluminibus in Ecclesiæ usum editis; in quibus jam sigillatum nomine *libellum Eucharistia frumentorum instructionis destinatum*, cuius exemplum per quinquennii spatium sine ullius læsionis indicio sub terra delituit, memoriae gratia in primario Vinariensem templo adhuc asservatum. Ausus quidem est aliquis Pastor, sede sua pulsus, Calvinianæ hæreseos infamiam ei inurere, qui autem paulo post, turpis mendacii convictus, de illius innocentia publico in Curia nostra confessus est testimonio. Probant etiam illius illibatae religionis dogmata conservandi ardorem Christianæ Concordie volumina, quorum lectionem assiduum Collegis suis, horumque Successoribus, cohor- tatione seria Ms. a. MDLXXX. Cal. Septembbris commendavit. Vitam finiit XI. Septembr. a. MDXCI. in cæmeterio XV. ejusdem conditus. Tabula vero, ex orichalco confecta, in Bartholomæi templi meridiem versus pariete, altari proximo, adhuc illius præ se fert memoriam.

Post illum Ecclesia nostra Ephorum consecuta est Josuam Lænerum, M. (o) VII.

Casparis filium, Oelsnitii (π) Variscorum a. MDXXXV. natum. Qualis (o) de quo vif- fuerit, vel inde patet, quod tam diversa loca ejus virtutibus frui toties dewolfgangi gestiverint. Siquidem Wittenberga, ubi studiorum gratia per triennium commora- Krugeri Catal- tus fuit at, Naumburgum, & inde Thomabruccum ad Scholastica munera; ab his a. p. 55.

MDLXI. ad Diaconatum Weisenensem; hinc in Franconiam a. MDLXIX. vocatus est, mutatis vicibus modo Bibrensis, modo Themarensis & tandem Meiningensis Ecclesiarum Pastor factus. Cum autem in Baptisni actione ab exorcismi formula, & in Eucharistia consecratione a cantandi confuetudine absti- (π)conf.eun- nere nolle, ab ultima, cui per sexennium prætuerat, Ordruſum migrare coactus est, dem Krugen- ibique exacto trimestri tempore, Arnstadium a. MDLXXXIV. venit, Superinten- rum & ex eo Theat. Frehe- dentis ornatus provincia, quam a. MDLXXXIX. Vinariae cum Aulici Ecclesiastæri pt. i. sect. 3. Sparta commutavit, Gregorio Strigenicio succedens. Tandem Ecclesiæ nostræ cu. f. 291, ram XV. Jun. a. MDXII. in se suscepit, Theologiae Doctor, cum Antonio Pro- bbo, Superint. Vinariensi, & Christophoro Grunero, Prof. & Past. Regiomonte in Borussia, XV. Maji a. MDXCIII. solemniter creatus. Calvinianorum moliti- nibus ore atq; calamo fortiter restitit, in aliis etiam negotiis Ecclesiæ saluti laudabili ter consulens. Deniq; ex militante in triumphantem XVII. Maji MDXCV. transit.

Septem haec tenus recensui Ephorus. Octavus fuit Balthasar Müller/ Johannis, in aula Hennebergica Ecclesiastæ, filius, Smalcaldæ in Franconia X. Septembri. MDLVII. natus. Juvenili aetate in literariis Musarum palæstris eleganter acta, in Scho-

nomi

)( )(

Scho-

Scholam provincialem, quam Vienna Austriae habuit, Collega, &c, elapsa illic triennio, in patriam redux, Schleusingensis Conrector cooptatus est, ubi per quatuor annos floridæ sobolis cupidinem utilibus doctrinis salutariter impertit. Inde a Scholasticis ad Ecclesiastica pervenit munera, factus primum Pastor Ecclesiae Frau-enbreitungensis in Franconia per septennii spatum, porro Citizensis ad templum Michaelis ferme per triennium, & tandem nostra Superintendens VIII. Septembr. MDXCV. cum ante Doctoris insignia in illustri Salana V. Nov. MDXCIV. una cum Conrado Schlusselburgio, Pastore Stralsundano, festive accepisset. Egregii autem Ephori partibus omni animi contentione, monumentis etiam publicis, preclare satisfaciens, VI. Jun. MDCX. in supremi Episcopi, Servatoris sui manus ab eo acceptam Ecclesiae functionem cum vita sua tradidit, X. post in nostro humatus cœmterio, lapide etiam sepulcrali ornatus, qui in templo Resurrectionis sacrarium ingressuris est conspicuus.

Qui hactenus Ecclesiae nostræ Ephori sunt concessi, Superintendentium mon-

(e) epist. fer. dō nomine venerunt. Seqventibus autem Gener alium Superintendentium axio-

IV. post. Epis- ma est tributum. Spalatinus qvidem a Luthero Archiepiscopus Ecclesiarum phan. 1541. Misnensem (e) fidelissimus est nominatus, certe Generalissimi Superintendentis ti-

scripta, quam tulo, si rerum in Ecclesia CHRISTI ab eo gestarum habeatur ratio, dignissi-

vide Schlege- mus. An autem publicæ auctoritatis suffragio sic appellatus fuerit, non po-

lli Disputati- tui deprehendere. Cessit demum Successoribus ea dignitas cum Confisto-

oni de Spala- tini vita adje- rii Assessorum encomio, postquam S. Synedrii Curia, Confistorium quam dici-

stam p. 249. mus, a. MDCXII. Jena huc translata fuerat. In horum ordine primo ponen-

IX: dus est loco Abraham Svarinus, Johannis Svarini, Ecclesiae Sceudicentis pertres

& triginta annos Pastor, filius, e matris, Marthæ Craufiz, Altenburgensis, ute-

ro, XV. Nov. a. MDLXIII. egressus. Jaetis patrio in ludo puerilium studio-

rum rudimentis, aliquandiu in recens constituta Martisburgensem schola di-

ligenter egit, inde in Lipsiensem profectus Academiam, in qua liberalium ar-

tium Doctores a. MDLXXXIV. cum supra Philosofia laurea, & alia loca

adeundi cupidum ejusmodi ornarunt laudibus: De doctrina & eruditione M.

Svarini facile judicari potest ex consecutis gradibus, Baccalaureatus scilicet & Magiste-

rī, nec dubitandum est, quin ejusmodi ille sit, ut emolumento esse possit Ecclesie & Chri-

stiane Reipub. Mores vero illius adeo temperatos esse dicimus moderatosque, ut dulci

quadam & uiria Musas cum Gratiis copulasse videatur. Est enim in DEUM pītū, in

Preceptores gratus, in equales officiosus, in oratione comis, in conversatione facilis & hu-

manus, in disputatione expeditus & minime pugnax atque pertinax. Sophisticē odit,

simplicitatem vero amat, quo ipso gratiam & benevolentiam omnium fere bonorum sibi

conciliavit. Iisdem dotibus celeberrimi Theologi & Historici, D. Davidis

Chytræi, & ceterorum in Academia Rostochiensi Professorum sibi promeruit

gratiam, inde post annum spatum, iustratis prius Saxoniz inferioris urbibus,

in patriam rediens, ut Patris desiderio more gereret. Cujus defuncti Spar-

tam, a. MDLXXXVI. acceptam, cum per tria circiter lustra singulari pietate

administrasset, a. MDC. Delicianis datus est Superintendentens. Animique

oblectandi gratia Leucoram a. MDCX. invisens, veteris amici, D. Joh. Fær-

steri PP., svasu permovebatur, ut aliquot summorum in Theologia honorum

Candidatis se adjungeret, paulo post in publica festivitate ejusdem Doctor

renunciatus. Interea temporis ad nostræ Ecclesiae regimen solemnis vocatio

ei contigit, quam cum Theologorum Lipsiensium pariter & Wittebergenium

monita, ceu rem divinitus oblatam, amplectendam esse omnino judicarent,

sanctis DEI consilio obtemperans, tam arduum munus, imminentem ejusd. anni

clausula, ipfis videlicet DOMINI Natalitiis, feliciter auspicatus est. Quanto

alacritatis ardore, in egregium rei Ecclesiasticæ atque literariz emolumen-

tum, istius saluti incubuerit, brevi recensione non potest exprimi. Plura qui

desiderat, in doctissima inveniet oratione, quam M. Joseph. Clanderus, Scholæ

nostræ tumtemporis Rector, Ecclesiae postea Diaconus atque Archidiaconus,

(σ) pt. 1. Sedt.  
3. f. 381. seq.

XII

de istius laudibus in publica habuit panegyri, cuius capita præcipua s̄pē alle-

gatus Freherus in Theatrum suum (σ) retulit. Minime autem diurna fuit

tanti viri possessio. Siqvidem catarro apoplectico, quem nulla medicamina

excellitia compescere poterat, repente correptus, incredibile sui desiderium

bonis omnibus X. Nov. MDCXV. reliquit, in æde Fratrum die suo natali, nem-

pe XV. telluri traditus.

Non



Non diu post DEI benignitas urbi nostræ de alio prospexit Præsule, qvi Svarini dignitatibus prosperrime successit. Fuit is D. *Henricus Eckardus*, variarum laudum præconio valde insignis, qvi huic luci datus est Wetteræ in Haf-sia, Patre Joanne Eckardo, Wetterentis Diœceseos Præfecto XIX. Octobr. MDLXXXII., optimæ indolis igniculos tenera in ætate statim præ se ferens. Quatuordecim annos natus ea floruit humaniorum artium notitia, qvæ altiorum studiorum candidatis magno est decori. Suffragio igitur virorum, eruditio-ne haud quotidiana excellentium, in Marpurgensem abiit Academiam, qvæ, Rudolpho Goclenio Diribitore, anno MDXCHX. in viginti quinque commi-tionum, primam Philosophiæ lauream ambientum, numero, supremum, eundemq; velocum, sub anni proxime seqventis initium, in novendecim sodalium, qvi Philosophiæ Magistri creabantur, ordine, ei, sedecim annorum juveni, attribuit. Cumq; & interea temporis & postea ad optimi Gamalielis, D. Balthasar-is Menzeri, pedes gnaviter sedens, Theologiæ laudabilem navasset operam, a. MDCI. in Burggraviæ Kirchbergensis aula Varnrodeni Ecclesiastes, & a. MDCIII. in Comitatu Svarzenburgico Ecclesiæ Singensis Pastor est constitu-tus; annoq; MDCVII. XVI Nov. cum fratre suo Alberto, Theologiæ Doctor in nova Giessensium Academia omnium primus cum renunciatus esset, XXIX. Febr. seqventis anni MDCVIII. ad eandem Theologiæ Professor vocatus, Singa familiam suam transtulit. Inde a Svarzenburgico Comite, Carolo Gunthe-ro, Franckenhusama. MDCX. XXI. Mart. revocatus, postqvam Superinten-dentis munere per sexennii spatium functus fuerat, in urbem nostram MDCXVI. XXIX. Martii pervenit, singulari plausu bonorum omnium exce-ptus. Qualis autem fuerit, ex breviter dictis constare potest. Patet etiam e doctissimorum librorum copia, qvos, pio doctrinæ nostræ sanctitatem tuendi accensus Zelo, communis Ecclesiæ usui concinnavit, propterea Gisberto Voe-tio, Calvinianæ Ecclesiæ Theologo, rigidi Lutherani nomine dictus. Phthisi autem laborans vitam placide finiit XXII. Febr. a. MDCXXIV., tumulum in qvodam cœmeterii fornice adeptus. Sermonem exeqvialem, ab interitu vindicatum, illius ex filia Elisabetha nepos, D. *Heinrichus Freiesleben* / Superin-tendens Orlamundanus p. m. a. MDCLXIII. typis excudendum curavit, ex qvo præcipua Freherus Theatro (¶) suo afferuit.

(¶) pt. I. sect. 3  
f. 42v. sq.  
XI.

Secutus est istum D. *Aegidius Hunnius*, D. Aegidii, magni Germaniæ nostræ Theologi, de universa CHRISTI Ecclesia optime meriti, filius, Wittebergæ XIX. Martii MDXCIV. genitus. Patris qvidem jacturam per adolescentulus fecit; Nihilo autem segnus, qvæ DEI fuit clementia, in literarum exercitio versatus est, doctissimos natus Præceptores, in qvibus & frater, D. Nicolaus Hunnius, tum Acad. Witteberg. P. P. postea Lubecensium Superintendens (qvem immortalia in Ecclesiam universam merita nunquam non celebrabunt) non injuria nominandus. A. MDCXIV. XX. Sept. in patria Academia Philosophiæ Magister creatus, tam varia præciaræ eruditio specimina edidit, ut Philosophorum ordo Collegii sui Adjunctum designare eum non dubitaverit, cuius etiam Decanatum postea non sine laude gessit. Cum autem Theologiæ studia toto amaret pectore, alias etiam adeundi Germaniæ Academias, in istorum notitia ut magis magisq; cresceret, ingenti arsū desiderio. Eam ob causam, non Theologorum Wittebergensium modo, sed ipsius etiam Saxonie E-lectoris, D. Johannis Georgii I. ornatus commendatissimis, a. MDCXIX. Gies-sam concessit, egregiis virtutibus ingentem D. Balthasar Menzeri & Justi Feuerbornii, qvin & reliquorum Professorum gratiam sibi concilians. Exacto ibi biennio, cæteras Germaniæ Academias urbesq; præcipuas utiliter invisit, Ar-gentorato tandem a. MDCXXII. Wittebergam reversus, ubi, XXX. Augusti habita sub D. Balthas. Meifneri præsidio solemni disputatione, Theologiæ Docto-riis assumendi titulum licentia, ipsisq; talium honorum insignibus XVI. Octo-br. a. MDCXXIII. hilariter donatus est, factus jam, mense scil. Octobri præcedentis anni, Ecclesiæ Sangerhusanae Superintendens. Tandem DEI adductus vo-luntate, in nostra urbe XXII. Octobr. MDCXXIV. Generalis Superintendantis & S. Synedrii Assessoris provinciam humeris suis imponi passus est, qvam compluribus beneficiis sibi devinctam reddidit. Fidelissimi certe Præfulis in summo rerum discrimine omnes explevit numeros. Saviebat tum temporis non Martis tantum rabies, sed etiam pestilentia calamitas. Utriusq; furori imper-

perterriti animi constantiam opposuit, omnia vitæ despiciens pericula, ut suerum utilitati provideret. Belli onere pressos dulci sublevavit solamine. Pestisque vehementia correptos ipse epularum sacrarum exhibitione contra mortis atrocitatem reddidit alacres, atque extintos cum unico Collega, defunctis reliquis, ad cœmete ium deduxit. Non funebris tantum sermo (e quo nonnulla Freheri Theatrum (v) mutuo sumvit) sed & complures civium adhuc superstites talia luculenter de eo testantur. Morte præmatura ablatus XXIX. April. MDCXLIX. magnum dolorem quamplurimis attulit.

Cui lenimen non mediocre fecit exoptati Successoris excellentia. XII. Fuit iste *D. Martinus Caselius*, Patre Johanne Caselio, per triginta annos Bergviciensis Ecclesiæ in diœcesi Wittenbergensi Pastore, a. MDCLIX. VIII. Nov. luci datus. Cum trimulus periculo pestilentia contagio infectus graviter decumberet, pia mater votum tecit, se sanitati restitutum sacris artibus DEI que ministerio esse consecraturam, cui & Hannæ secuta exemplum, postea paruit. Siquidem septennis puer ludo Kembergensi, & post aliquot annos Scholæ Wittenbergensi traditus spem de se conceptam non tantum sustinuit, sed etiam superavit, omnium linguarum articulique studio optime incumbens, quas puerorum adolescentumque, ad res arduas natorum, animi debent imbibere. A. MDCXXV. in civium Academicorum numerum inibi receptus tanta contentione Professorum lectionibus interfuit, ut omnium diligentissimi majore non potuerint, a. MDCXXIX. XXVI. Martii suprema Philosophiæ laurea coronatus. Ab eo tempore Studio sae juventutis cupidini præclara eruditio sua inserviit, deducens istam ad optimæ doctrinæ sanctuaria, habitis eam in rem septuaginta tribus, ceu vocant, Collegiis, quæ legendo, disputando atque repetendo moderatus est. Unde & factum, ut Ordinis Philosophici Proceres Facultatis suæ Adjunctum a. MDCXXXIII. eum constituerint. Materni autem desiderii non immemor, ab a. MDCXXX. ferio amare coepit S. literarum studia, Theologorum celeberrimorum, Pauli Rœberi, Jacobi Martini, Wilhelmi Lyseri & Johannis Hulsemanni *angustæcæ* in succum convertens atque sanguinem. A. MDCXXXVII. apotentissimo Saxonie Electore Jessensis Ecclesiæ Superintendentis declaratus est, cuius curam XXIV. Octobr. in se suscepit, anno proxime sequenti primum Theologiae Licentiatus, deinde Doctor, Wittebergæ auctoritate publica creatus. Cumque a. MDCXL. XIX. Septembr. huc accersitus, in Divi Friderici Wilhelmi, Patriæ Patris, aula Ecclesiastæ & S. Synedrio Assessori munus laudabiliter gereret, habebatur dignissimus, cui beate defuncti Hunnii, Generalis nempe Superintendentis Sparta crederetur, ea tamen lege, ut etiam Principi a primariis concionibus maneret. Eaque ratione primus Ephororum Generalium fuit, quos Patriæ Patres simul aulae suæ Nathanaes esse voluerunt. Quam heroico autem animo in tanta munera amplitudine in DEI gloriam, Ecclesiæ atque rei literariæ salutem, versatus fuerit, multi adhuc in recenti habent memoria. Si non alia calamo non minus quam ore atque opere præstisset, profecto Catechetica doctrinæ exercitia, quæ ejus fvasu atque ductu inchoata in Ecclesiis nostris adhuc vigent, omni obliuione illius famam liberarent. Vite tam in longe pluribus. Perennat etiam in Frheri (J) Theatro, summatum reseq. 1. c. f. 588. censente, quæ copiosius in funebri sermone ei habito sunt exposita. Tandem anima ejus ex hac mortalitate in cœlestem migravit patriam XIV. April. MDCLVI. corpus autem XXI. ejusdem in æde Resurrectionis ad altare parato conditorio est illatum.

XIII. Excepit istum in earundem dignitatum administratione *D. Job. Christfried Sagittarius*, Breslæ Silesiorum XXIX. Sept. MDCXVII., Patre celeberrimo, D. Thoma Sagittario, antea Jenensis Academiæ P. P., tum vero Gymnasii Elisabethani apud Breslenses Directore, natus, qui duro admodum vitæ initio usus est. E matris enim utero exanimi quam vivo similius prodiit, foculi alicujus fomentis quasi vitæ restitutus. Quin & utriusque parentis in prima pueritia jacturam fecit, orphanorum expositus miseria. DEI tamen benignitate, multorumque adjutus gratia, per asperæ fortis præcipitiæ ad magnæ eruditioñis atque dignitatis apicem feliciter adspiravit. Sub patru, Casparis Sagittarii, Scholæ cum Martinianæ ap. Brunsvicensis, tum Senatoriæ apud Luneburgenses Rectoris (cujus filius, D. Caspar Sagittarius, in illi Salana Historiarum P. P., & Serenissimorum Saxoniæ ex linea Ernestina antiquiore Ducum Historicus, paucis abhinc diebus in dissertatione epistolica, analecta in suam de januis veterum librorum continente, Theodoro Jansonio ab Almeloven, Medico & Polyhistori apud Batavos, genealogiæ Sagittarianæ rationem reddidit) disciplina iis profecit artibus, quæ non minus quam morum, quibus eniteſcebat, amicitates in Academiam Jenensem a. MDCXXXV

MDCXXXVI. venienti multorum benevolentiam conciliaverunt. Hinc a.  
MDCXLITERU abiit in Lyceum Curiense Conrector cooptatus, & inde a. MDCXLIII.  
redux Scholæ Jenensis Rectoratum suscepit, quem in istius urbis Academia a.  
MDCXLVI. cum Historiarum & Poëseos professione commutavit, ubi & a. MDCXLIII.  
Philosophiæ Magistri & MDCLII Theologiæ Doctoris titulum accepit. A. MDCLI.  
Orlamundæ Superintendentens & tandem MDCLVI. nostræ urbi Superintendentens Ge-  
neralis, Aulæ Ecclesiastes primarius & S. Synedrii Assessor est concessus. Quantæ fa-  
luti tam arduis muneribus egregiæ illius virtutes fuerint, non est, quod pluribus com-  
memorem, cum prolixius de eo agendi mihi jam futura sit occasio, & nemo invenia-  
tur, qui clara eam in rem non edere possit testimonia. Id non possum non adjicere,  
quod felicitate floruerit, quam nullam Antecessorum habuisse, est in propatulo. Non  
enim diutius modo reliquis Ecclesiæ nostræ præfuit; sed & filium *M. Paulum Mar-*  
*tinum*, antea Lycei nostri Rectorem, de re cholaistica per multos annos præclare me-  
ritum, deinde in diversis Ecclesiæ nostræ functionibus, nec non in S. Synedrio Col-  
legam vidit, quin etiam reliquit in obsequio Generalis Ephori munere, jussu Princi-  
pis, aliquandiu Vicarium (cujus de urbis nostræ antiquitatibus doctissima Collecta-  
nea MS. multis in hac tenus expositis mihi fuere auxilio) postquam septuagenario  
major XIX. Febr. MDCLXXXIX. ex hac misericarum valle in cceli paradisum transiit,  
splendidis exequiarum solemnibus XXV. Februarii cohonestatus. Cujus fama nun-  
quam intermoritura vigebit semper in summa rerum pro Ecclesia & literariis studiis  
ab eo gestarum multitudine; in tot ingenii monumentis; in Lutheri scriptis, ejus in-  
dustria luci publicæ redonatis (unde etiam tabula, effigiem ejus in æde Bartholomæi  
continens, *Lutheri redivivi ei tribuit titulum, quem & celeberrimus Gymnasii Gera-*  
*ni Rector, M. Jo. Fridericus Kœberus, anno superiori publico ei afferuit program-*  
*mate*) ut & in doctissimis quamplurimorum libris, honorificam illius mentionem se-  
pe numero injicientibus.

Sicut autem alias DEI providentia vulneribus, in Præsulum obitu Ecclesiæ  
nostræ infictis, medicinam præbuit saluberrimam; Ita etiam Sagittarii discessu  
valde perturbatam singulariter recreavit, e paterni amoris magnitudine *D. Hen-*  
*ricum Matthiam a Broke* optatissimum isti largitus Antistitem. Oriundus est ille  
ex nobili & antiqua Patriciorum Lubecensem (in quorum urbe consulem egit  
ejus Alavus) familia, anno vergentis seculi XLVI. IV. Septembris in hanc lucem  
editus Derenburgi, Principatus Halberstadiensis oppido, Patre Christophoro  
de Broke, Capituli Ecclesiæ Cathedralis Halberstad. Præfecto Sneidlingenfi, tum  
autem Præfecto Derenburgi. Hujus, præmatura morte ablati, cura tertio æta-  
tulæ suæ anno orbatus, in ancipitem incidiisset miseria, nisi optimam matrem,  
Annam Elisabetham, Matthiæ Schillingii, Heimburgensis quondam Præfecti fi-  
liam, habuisset superstitem, & iepennis puer Hadmerslebium veniens, a ma-  
tertera sua, Catharina Elisabetha Schillingia, atque hujus marito, Joachimo Hans-  
ses. Hæreditario in Hadmersleben & Barleben/ Capituli Ecclesiæ Metropolita-  
nae Magdeburgensis supremo Præfecto in Hadmersleben & Atemsleben/ filii in-  
illar tenerrime fuisse adamatus. Horum profecto sumtibus omnino munifi-  
cis quippe qui mille & quingentorum Joachimicorum summam superant) non  
solum per aliquot annos Hadmerslebii. & in Schola Quedlinburgensi (cui tra-  
ditus est anno LIX.) per quinquennium, sed & in Academia Julia (ad quam an-  
no LXIV. se contulit) per annum spatium, & denique in ill. Salana (quam anno  
LXV. adiit) per integrum septennium sustentatus, feliciter vivere potuit. Qui-  
bus autem laudibus adolescens atque juvenis in Scholarum pariter & Academi-  
arum Tempe effloruerit, non commilitonum modo, quamplurimi, sed etiam  
nonnulli adhuc incolumes Præceptores unanimi consensu celebrant. Ex his  
principue appellare possum Clarissimum virum, *M. Samuelem Schmidum*, illu-  
stris Quedlei Rectorem, & venerabile Theologici Ordinis in alana celeberrima  
caput, *D. Fridemannum Bechmannum*. fidelissimos ejus quondam in Schola  
atque Academia Doctores, de pietate illius, industria, morum venustate aliis-  
que dotibus pulcherrimis laudabilia reddentes testimonia. Anno LXIX. hono-  
res in Philosophia summos magna cum laude consecutus, paulo post Philosophiæ  
disputationis in publico plurimorum applaudentium confessu egit Præfi-  
dem, & cum Philosophiæ præcepta, tum dicendi artem privatim docuit, insimul  
& Theologorum omnibus in rebus, ad Theologiæ vastitatem pertinentibus, au-  
ditor solertissimus, quin & aliquoties sub eorum præsidio de arduis materiis  
pu-

XIV.

FR. 9a 1178

publice disputans. Post hęc a. LXXII. legitime vocatus, Hadmerslebens Ecclesiae per quatuor annos Pastor fide singulari praeftuit. Inde Magdeburgum veniens, Ecclesiae Spiritus S. Pastor LXXV. constitutus, & sequenti anno post in Academia Salana solemnī ritu supremos Theologię honores accipiendi licentiam adeptus est. A. LXXX. auctoritate publica Pastoratum Ecclesiae D. Johannis apud Magdeburgenses suscepit. Cumque anno LXXXV. Magdeburgo discedens, Ecclesiae Evangelicæ in utraque civitate Hildesiensi Superintendentis factus eset, eodem anno Theologię Doctor in Salana saepius laudata est creatus. Tandem anno XC. II. Id. April. DEI optimi auspiciis, Serenissimi Principis nutu, plaudentibusque cordatis omnibus, Generalis per Ducatum hunc Superintendentis, Primarii Aula Concionatoris, & Hagi-Synedrii Assessoris axioma (quod ultimum deinde in Ecclesiastici Consiliarii titulum est mutatum) solemniter assumpsit. Quam sui admirationem in bonorum omnium animis haetenus excitaverit, referre jam mihi est religio, ne absentiunculis, a quarum lenocinio sum alienissimus, illius gratiam aucupari velle videar. Posteritatis linguae atque calami grata prædicatione efferent, quam in usitato nexu judicii acutissimi & memorie fidelis excellentia, multo rerum usu confirmata, in illius animo sedem sibi elegerit; quanta doctrinarum, ardua munera suorum amplitudini necessiarum, cognitione pollet; quam verticordia singularis facundie potentia valeat; quam impavidi pectoris ardore pro purioris doctrinae custodia agat vigilias; quam acriter sceleratorum homuncionum molitionibus repugnet; quam sincerus ingenua pietatis sit amator; quam incredibili humanitate cuiuslibet desiderio sit obvius. Ipse jam non audeo de tantis virtutibus scribere. DEI modo Numen calidis veneror precibus, velit omnem gratiam suam copiam in eum largiter effundere, ut Ecclesiae nostrae incremento, sub valde longinquis istius pro ea excubitis, maximae accessiones feliciter contingant.


Tandem venerabilis Sagittarii iterum reminiscar est necesse, quippe cuius gratia hoc, quicquid fuit, scriptio[n]is peragere volui. Statim scilicet a sancto illius obitu, Lycei nostri adhuc Rector, proposui piam grati erga eum animi pro pluribus beneficiis significationem in publica panegyri edere. Morborum auctem vehementia non parum debilitatus ab alio in aliud tempus tam candidum conatum differre debui. Interea Scholae cathedram cum Ecclesiastica permute jussus, sub ipsum ab illa discessum beati Præfus[us] memoriam recotere constitui. Sed huic etiam desiderio magna siebat remora. Paucis enim diebus ante, indulgentissimi Patri Patris, Augustissimi FRIDERICI, mors celerrima omnium civium animos in dolorem precipitabat acerbissimum. Nisi igitur tanti Principis potius, quam alius viri, rationem in communi omnium lucu, Scholastico muneri supremum vale dicturus, habuisse, nihil pietatis, nihil sanæ mentis tenuisse. Policebar tamen in publica Virorum inclytorum concione, etiam Divi Sagittarii manibus grati animi monumentum statuere. Cujus pronisi, molestiis, quæ illud haetenus sufflaminarunt, superatis, memor, DEI benignitate, audita secunda pomeridiana crastini, in primario Athenæi nostri Acroaterio,

Optimi Theologi titulo beatum inclinasse Praesulem,

et addidimus sum dicturus. Ut autem ea panegyris fiat illustrior, Eminentissimos urbis Proceres, cum eruditissimis omnibus, qua decet ratione obsecro, velint exoptatissima sua praesentia illam decorare. Dabunt id incliti Viri memorie, quam nunquam non retinebunt in columen. Dabunt superstiti illius familie, tali benevolentia dignissimæ. Ne dicam, quod & ipse mihi de gratia tanta, de favore & amore tanto non vana credulitate blandiar, sanctis ad DEUM pro cuiuslibet salute precibus, observantia, obsequio, amore reciproco, & quovis officiorum genere, erga quemlibet gratia mentis promitudinem, quotiescumque ea præstanti emergat occasio, declaratur. Quod reliquum est, DEUM precor, ut Clementissimi Principis nostri, Augustissimi FRIDERICI, regimen (cujus auspiciatissimum exordium mirificæ nobis est lætitiae) prosperissimum semper esse jubeat, quo reipublica vigeat tranquillitas, & in primis puræ fidei doctrina, adversus diaboli dolos & tyrannidem, usque ad seræ posteritatis multitudinem, quin ad ipsum universum terrarum orbis interitum, in hac urbe florentissima conservetur. Dabam emeritulus

B. Sagittarii ante quinquennium die, XIX, nempe

Februarii, MDCXCIV.



1002

900

F.K.  
25.11.

(X 2000 279)

561  
Ya  
172

Q. D. B. V.  
SCHEDIASMA  
de  
**ALTBURGENSIS ECCLE-**  
**SIAE PRÆ-**  
**EMINENTISSIMOS U**  
**ERUDITIS**  
**qvos Altenburgigre**  
**PANEGYRIN**  
**PAREN**  
Optimi qvondam  
**VIRI SUMME REVER**  
**ATQUE EXCE**  
DOM  
**JOH. CHR**  
**SAGIT**  
S. S. Theolog  
per hunc Ducatum Sup  
Supremi Aulæ  
Hagio-Syne  
dere Ecclesiastica pariter  
XX. Februar  
primario illustris Pa  
hab  
exoptatissima præsentia splen  
tanquam decentissimæ modestiæ argumento  
rogitat  
**M. Joh. Müller / Ecclesiæ Altenb. Diac.**  
Altenburgi, stanno Gothofr. Richteri, Ducalis Typogr.

